

mas infra, quæst. xxiv, artic. iii et ii, licet personæ conveniat prædestinari, et non humanitati, non tamen personæ id convenit, nisi ratione humanæ naturæ, quatenus illud subsistens in humana natura, ut sic accepit per gratiam factam humanæ naturæ, quod sit Filius Dei; unde prædeterminatio est gratiæ præparatio, non tamen est necesse, quod formalitas gratiæ conveniat supposito prædestinato, sed ei cujus ratione prædestinatur, scilicet humanæ naturæ; ita quod sicut ratione humanæ naturæ prædestinatur, ita et soli naturæ humanæ fiat gratia, per cujus præparationem persona prædestinatur.

XXIV. Et nota verba D. Thomæ in illo articulo secundo: «Dicendum, quod secundum utrumque istorum attribuitur prædeterminatio Christo ratione solius humanæ naturæ: nam natura non semper fuit Verbo unita, et ei etiam hoc per gratiam est collatum, ut Filius Dei in persona uniretur.» Cum ergo dicitur Christus in quantum homo est prædestinatus, ly in quantum non reduplicat id, quod est prædestinatum, sed id ratione cujus est prædestinatum, nam id quod prædestinatur, est persona, non humanitas, ut demonstrat D. Thomas ibi articulo primo, quia humanitas non est Filius Dei naturalis, sed persona illius hominis. Et prædeterminatio est gratiæ præparatio, ita quod requiratur, quod fit gratia respectu ejus, quod prædestinatur, nego; ita quod fit gratia respectu ejus, cujus ratione prædestinatur, id est, naturæ, seu principio quo, concedo; ergo Christo in quantum homo est facta gratia prædeterminationis, ratione naturæ, concedo; ratione suppositi, nego. Aliud est ergo quod prædestinatur in Christo, scilicet persona; aliud qui in ipsa prædeterminatione gratia

fit, scilicet natura, quæ in aliis non contingit, in quibus persona est capax gratiæ.

XXV. Et ad doctrinam Vazquez, quod quando concretum ponitur a parte prædicati, stat pro natura, non pro supposito, respondetur valde esse hallucinatum hunc auctorem, et in lubrico locutum; nam quando dicitur concretum stare pro natura, si intelligitur pro natura solum, semoto supposito, ita quod remaneat natura, quasi in abstracto, est falsissima doctrina: nam in ista propositione: Petrus est homo: Christus est homo, si ly homo staret pro natura, excludendo suppositum a prædicato, faceret hunc sensum; Petrus est humanitas, quod est falsum. Quando ergo dicimus, quod stat pro natura, intelligimus pro supposito ratione naturæ, non ratione suppositi, ut a natura distinguitur. Et sic dicit S. Thomas, loco nuper citato, articulo secundo: «Quod hoc dicimus convenire alicui secundum quod homo, quod ei convenit ratione humanæ naturæ;» ubi non excluditur suppositum, sed explicatur ratio ob quam aliquid ei convenit. Videatur sanctus doctor infra quæst. xvi, art. x et xi et xii, ubi manifeste dicit, quod terminus in reduplicatione positus, potest accipi, vel ratione suppositi, vel ratione naturæ; et nunquam dicit, quod stat pro sola natura, sed quod magis proprie respicit, vel tenetur pro natura, quam pro supposito: quod intelligitur, non excludendo suppositum; sed explicando id ratione cujus aliquid convenit supposito.

XXVI. Etsi quando dicitur Christus in quantum homo satisfacit, dico, quod ibi stat pro supposito ratione naturæ, et quod ibi potest illud prædicatum trahi ad suppositum, et non debet excludere illud, quia ut dicit ibi S. Thomas articulo

x: «Illa propositio: Christus in quantum homo est creatura, si adderetur aliquid per quod traheretur ad suppositum esset magis neganda, quam concedenda, puta si diceretur: Christus secundum quod hic homo est creatura: at vero si dicamus: Christus in quantum homo satisfacit, veram propositionem dicimus;» ergo signum est quod hæc propositio: Christus in quantum homo satisfacit, non excludit suppositum ex D. Thomæ sententia; alias posita particula trahente ad suppositum, scilicet hic homo esset neganda.

XXVII. Et si instes: Nam Christus satisfacit ratione valoris actionum, hic valor non convenit illis ratione naturæ humanæ, sed ratione suppositi; ergo suppositum non satisfacit ratione humanæ naturæ, respondetur hunc valorem convenire ratione suppositi, non absolute, sed ut subsistentis in humana natura, quia ut subsistebat in divina, non haberet nisi actiones divinas, quæ non sunt satisfactoriæ, quia ergo valor provenit a supposito, ut subsistente in natura humana, dicitur satisfacere ratione humanæ naturæ, non quia ratione illius proveniat valor, sed quia ratione illius habet actiones capaces valoris provenientes a supposito; ratio ergo valoris non est natura, sed suppositum. Capacitas tamen susceptiva valoris est in actionibus a natura.

#### TERTIA CONDITIO.

QUOD BONA NON SINT SUB DOMINIO CREDITORIS.

XXVIII. Hæc conditio tantam ingessit difficultatem, ut plures conati sint potius explicare, quomodo sine illa salvetur justitia quantum ad rigorem, quam illam velint concedere satisfactioni Christi. Nam in

primis constat, quod illa opera per quæ Christus satisfacit, in quantum erant actiones creatæ, et ab humanitate ut principio quo pendentes, erant sub dominio Dei, quia erant aliquid creatum, et a tota Trinitate procedebant, ut a causa prima universalissima: in hoc autem fundatur dominium Dei super quamcumque creaturam.

XXIX. Quod vero etiam ut pendebant a divino supposito essent sub dominio Dei probatur, quia prout sic erant sub dominio liberæ voluntatis Christi satisfaciens; omne enim dominium fundatur in aliqua libera voluntate, et sine illa non potest intelligi dominium: ex eo enim quod voluntas est libera, est domina sui actus, et consequenter dominium habet in bona, quæ actibus illis subiciuntur; ergo illæ actiones sub illa formalitate, qua pendebant a supposito divino, erant sub dominio liberæ voluntatis Christi satisfaciens. In Christo autem solum est duplex voluntas, divina et humana; vel ergo prout sunt actiones suppositi, erant sub dominio voluntatis divinæ, vel humanæ. Si sub dominio voluntatis divinæ, cum hæc sit communis toti Trinitati, erant sub dominio ipsius creditoris, id est, sub dominio voluntatis Dei: si sub dominio voluntatis creatæ, illud dominium est creatum, et participatum a dominio Dei; ergo talis actio, etiam ut pendet a supposito, magis erit sub dominio Dei, quam sub dominio voluntatis creatæ: sicut omnia alia res, quæ est sub dominio nostro magis est sub dominio Dei, quia ab eo participatur dominium nostrum.

XXX. Nec dici potest, quod sunt sub dominio ipsius suppositi, quia suppositum non habet dominium, nisi media aliqua voluntate, non per officium suppositandi præcise, quia dominium fundatur in libera

voluntate. Et confirmatur, quia Deus non dicitur de novo acquirere aliquo titulo dominium actionum Christi, per hoc quod ei in solutionem offeratur, quod antea non haberet; quomodo enim de novo posset illi subjicere, et dominium habere alicujus rei? Ergo antea jam habebat hoc dominium, atque adeo satisfacerebat Christus ex bonis, quæ erant sub dominio creditoris.

XXXI. Multi ergo dicunt, ad satisfactionem honoris pro injuria, non requiri hanc conditionem, quod fiat ex bonis, quæ non sint sub dominio creditoris, sed posse ex quibuscumque fieri, dummodo præstet obsequium, et honorem æqualem injuriæ illatæ; nec enim satisfactio injuriæ fit sicut in restitutione pecuniæ, per abdicationem dominii, sed per humiliationem, et subjectionem; ad quod non requiritur aliquod dominium ita proprium, quod omnino sit exemptum a creditore. De qua solutione videri potest Suarez hic disp. iv, sect. vi; Lorca disp. viii et Nazarius, ubi supra controversia secunda.

XXXII. Hæc tamen solutio, difficultatem mihi magis augere semper visa est. Nam licet satisfactio pro injuria non transferrat dominium alicujus rei externæ, et ut juristæ vocant, alicujus corporalis, sed incorporalis, tamen ut ad æqualitatem satisfaciatur quis pro injuria, oportet ut tali honore, et obsequio satisfaciatur, quod offensus de jure non possit amplius exigere: sed si honor, quo satisfacit offensor est sub dominio offensi, potest alium exigere honorem de jure pro injuria facta; ergo exhibendo talem honorem, non satisfacit de rigore justitiæ. Major patet ex quinta conditione, ad rigorem justitiæ requisitam ex ipsa natura rei, quia de jure non potest creditor amplius exigere, nisi amplius sibi debeatur; ergo si de

jure potest exigere aliquid, est sibi debitum, et consequenter non est extinctum omne debitum; ergo ut sit extinctum, et de rigore justitiæ satisfactum, offensus non debet posse aliquid de jure justitiæ exigere.

XXXIII. Minor patet, quia si ille honore exhibitus sub omni titulo continetur sub dominio creditoris; ergo etiamsi non intercedisset injuria, continebatur sub dominio ejus, quia per injuriam non accrevit ejus dominium: ergo si redderetur ei talis honor, non intercedente injuria, redderetur ei aliquid proprium, et a se possessum, et sibi debitum, utpote contentum sub ejus dominio: ergo si pro læsione juris hoc solum redditur, quod ipse possidebat, aliquid amplius de jure potest exigere pro læsione sibi facta; si quidem illud quod erat sub suo dominio etiam non facta injuria poterat exigere sub omni titulo: facta ergo injuria aliquid honoris sibi debetur amplius, quam qui debebatur, si injuria non fieret. Est enim contra omne jus, ut nihil amplius detur honoris, et obsequii læso per injuriam quam non læso: si ergo datur illi id, quod possidebat non læsus, post injuriam aliquid amplius potest de jure exigere; et si non exigit favor est et gratia, non rigor justitiæ.

XXXIV. Vidit Suarez aequaliter difficultatem hanc, ubi supra, dum dicit, quod actus proprie non est satisfaciens ratione dominii, quod habet Deus in illum, sed ratione dominii, quod habet operans ipse: erat enim Christus verus dominus suorum actuum, quos in Dei honorem offerebat, et hoc sufficit ad optimam proportionem in hac parte necessariam.

XXXV. Sed hæc, responsio difficultatem non evacuat. Nam dominium, quod Christus habebat, nullo modo, nec titulo, erat exemptum a

dominio Dei, ut ipse Suarez fatetur; ergo quantumcumque satisfaceret ex proprio dominio, etiam satisfacerebat ex dominio Dei, quia satisfacerebat ex dominio non exempto, sed subordinato omnino ipsi dominio creditoris. Nec erat ulla consideratio, in qua satisfaceret ex dominio proprio, et non ex dominio Dei, quia non erat ulla consideratio sub qua, vel secundum quam dominium proprium non esset subjectum dominio Dei, et ab illo exiret in opus satisfactorium; ergo sub nulla consideratione satisfacerebat, nisi ex dominio creditoris.

XXXVI. Quare ad argumentum in contrarium respondetur supponendo verum esse, quod actiones Christi, ut sunt creatæ, et entitative acceptæ sunt sub dominio creditoris, non tamen ut sunt a supposito. Ad rationem autem in oppositum dico, quod illæ actiones, ut pendent a supposito, erant sub dominio voluntatis creatæ, non absolute, sed ut terminatæ a persona increata; et sub hoc respectu, non est dominium participatum a Deo, sed unitum Deo, quia licet voluntas humana sit radix libertatis, et dominii, tamen hæc voluntas nunquam est independens a supposito, nec consideranda est seorsum a persona, sed ut unita illi; de se enim solum habet dominium ut quo, et ut potentia libera, non tamen potest præscindere ab ordine ad principium quod. Quare eo modo, quo loquimur de actionibus, loquimur de voluntate, a qua egrediuntur, et sub cujus dominio sunt, quia sicut ista voluntas est potentia, non solum istius naturæ, sed suppositi (est enim inclinatio totius suppositi) aliter habet dominium ut terminata a supposito creato, vel ut ab increato; nam ut terminata ab increato non est dominium subjectum Deo creditori, sed ipsius

Dei ut satisfaciens; et sicut non est debitum Deo offerre illi actiones terminatas supposito divino, sic nec est debitum, et subjectum Deo dominium voluntatis creatæ, ut terminatæ a supposito creato, licet entitative secundum se sit a Deo.

XXXVII. Unde facile solves omnia, quæ Suarez proponit contra hoc, et difficilia reputat; non enim habent majorem difficultatem, quam ut intelligamus Deo non esse subjectum, nec debitum, nisi quod pure creatum est; quod autem est creatum, et unitum, seu conjunctum increato, sub illo respectu increati, quod sibi est conjunctum, non est debitum Deo et subjectum, quia non est inferius ipsi, sed ut dicit Paulus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, quod utique verificatur de ipso, non solum ut subsistit in divina, sed etiam ut in humana natura. Si autem prout sic æqualis est; ergo res illa, quæ terminatur tali supposito prout sic, non censetur inferior, sed æqualis, et consequenter non sub dominio. Nec ponimus dominium in supposito præcise sine libera voluntate, sed cum voluntate ut terminata ab ipso, non absolute ut terminata.

XXXVIII. Et si instes: Nam dominium voluntatis humanæ in Christo non est alterius speciei, quam in aliis hominibus, nec aliquid illi intrinsecum additur ex suppositione Verbi; ergo eodem modo est inferius, et participatum a dominio Dei, sicut in nobis.

XXXIX. Respondetur illud dominium esse ejusdem speciei, atque in nobis, sicut est eadem natura, et eadem voluntas; nec aliquid illi intrinsecum additur formaliter, sed solum terminative, id est, unionem ad terminum, seu personam increatam, et consequenter esse sub dominio Dei formaliter, et secundum se, non tamen terminative, id est, se-

eundem quod subest esse divino a quo terminatur; unde actiones ut terminatæ ipso esse Dei, non sunt sub dominio voluntatis humanæ absolute, sed ut terminatæ etiam eodem esse. Et sic per suppositionem, seu terminationem acquirit conditionem quamdam requisitam ad dominium, respectu actionum talis suppositi, quam non habet in alio supposito.

XL. Requiritur enim ad dominium potentia ad exercendum libere actiones, cum conditionibus ad id requisitis: una autem earum est ordo ad suppositum, sine quo actiones exerceri non possent, quia actiones sunt suppositorum; potentia ergo dominativa, scilicet voluntas, ut habens conditionem hanc, secundum ordinem ad suppositum increatum, non dicit dominium terminative, et ex parte suppositi subjectum Deo, bene tamen formaliter, licet illi nihil addatur intrinsece præter terminationem, nec mutetur species formaliter voluntatis.

XLI. Sed adhuc instat Vazquez disput. viii, cap. iv: Illa opera, et horum valor, etiam terminative, pendet a Deo, sicut humanitas terminative pendet a Deo; ergo est sub dominio illius, et quid debitum Deo.

XLII. Respondetur quod pendet a Deo, ut suppositante, et terminante, concedo; ut communiter causante, sicut dependet a tota Trinitate, nego, sicut enim speciali modo humanitas suppositatur a Verbo, quo etiam suppositatur ab aliis, licet effective sit ab omnibus tribus Personis, sic speciali modo dependentia suppositionis offeruntur actiones Deo, quod non pendet a reliquis Personis, nec ab ipso Verbo, ut subsistit in divina natura, et communiter operatur.

XLIII. Ad confirmationem dicitur, quod Deus non acquirit dominium

de novo, quasi intrinsece, sed quasi extrinsece, et modo illo, quo aliquis acquirit dominium honoris; honor enim est in honorante subjective, et intrinsece: in honorato autem denominative, et extrinsece; et ita hoc dominium non acquiritur per aliquam intrinsecam immutationem honorati, sed per extrinsecam denominationem, qua redditur illi de novo subjectio, et obsequium satisfaciens. Sic enim dicitur Deus honorari aliquo novo, quod non debeat ipsi a tali supposito, et hoc est habere de novo dominium illius extrinsece, et non intrinsece.

#### QUARTA CONDITIO.

QUOD NON SIT ALIO TITULO DEBITUM.

XLIV. In hac conditione impugnanda, respectu satisfactionis Christi, multus est pater Vazquez, hic disp. viii, cap. vi: et fatetur quidem illam ex sententia Anselmi libro cur Deus homo, cap. xx, requiri ad perfectam satisfactionem. Dicit tamen in fine capituli, se nescire, qua ratione opinio D. Anselmi defendi possit; nempe ut satisfactio exhiberi non possit Deo perfecte per opus alias præceptum, seu alias debitum, alioquin Christus non potuisset satisfacere per opera alias debita præcepto; et tamen constat Christum habuisse præceptum moriendi, et multa opera fecisse, quæ sunt præcepti naturalis.

XLV. Communis autem solutio consistit in duobus. Primum, quod requiritur ad perfectam satisfactionem, quod id per quod satisfacit non sit debitum alio titulo iustitiæ, seu alio titulo ad satisfactionem iustitiæ pertinente; non tamen requiritur, quod non sit debitum alio titulo ad aliam virtutem pertinente, verbi gratia, gratitudinis, obedientiæ, religionis, etc. Potest enim uno, et

eodem actu obligationi utrique, et titulo satisfieri; sicut quando obligatio cadit supereandem materiam: sicut si Petro extreme indigenti debeo panem, eodem pane satisfacio debito iustitiæ, et misericordiæ: et si vovi jejunare feria sexta jejunando in quadragesima satisfacio obligationi voti, et præcepti Ecclesiæ.

XLVI. Secundum est, quod actiones Christi, cum fuerint infiniti valoris, erant capaces satisfaciendi pluribus titulis inadæquatis diversarum virtutum, quia quælibet virtus non exhaurit totam infinitatem illius actus, seorsum ab alia. Unde potest actus Christi habere valorem, ut satisfaciat Deo in honore læso, et ut impleat præceptum speciale Dei, et ut satisfaciat debito gratitudinis, etc. quia quilibet titulus ex istis non est titulus exigens totam infinitatem actus, et totaliter. Quæ ut melius explicentur, et intelligantur

XLVII. Dico sententiam D. Anselmi esse certissimam, et injuriose de illa loqui Vazquez dicendo esse indefensabilem. Nam D. Anselmus sic dicit loco supra citato: « Cum reddis aliquid quod debes Deo, etiam si non peccasti, non debes computare pro debito, quod debes pro peccato: omnia autem ista debes Deo, quæ dicis, scilicet pœnitentiam, contritum, abstinentiam, laborem corporis, etc. » quæ antea enumeraverat. Unde concludit in illo capite: « Non posse hominem satisfacere Deo, quia totum, quod exhibere potest, debet Deo. » Et capite sequenti probat, quod etiam si non deberet, non sufficit id quod homo reddere potest, ut ad æqualitatem reddat. At vero libro ii, capite vi, probat non posse facere hanc satisfactionem nisi homo, qui Deus sit: « Quia de suo potuit dare aliquid, quod superat omne, quod sub Deo est. »

XLVIII. Consistit ergo doctrina Anselmi in hoc, quod omnia, quæ

nos exhibere possumus, debentur Deo; quod autem exhibet Deus homo de suo dat Deo, et superat omne, quod sub Deo est. Ubi ponit duas conditiones, scilicet, quod sit de suo, et quod superet omne quod non est Deus, quod est esse aliquid æquale Deo. Quod est solum docere id quod in præcedenti articulo dicebamus, scilicet, quod Christus de suo, id est, de proprio dominio reddit Deo aliquid æquale ipsi, scilicet, superans omne, quod Deus non est; quod intelligitur ex parte suppositi a quo terminantur illæ actiones. Quando ergo negat non posse reddere Deo aliquid æquivalens, quia totum, quod exhibere possumus debetur Deo, in illis verbis totum debemus, loquitur de eo debito, quod opponitur titulo iustitiæ, et dominio proprio actionis, ita quod non reddat de suo, nec alias sit debitum Deo, etiamsi non peccasset homo. Quidquid autem debetur aliquo titulo, non tollente quod de suo aliquid reddatur secundum iustitiam, nullo modo negat Anselmus, quod possit per illud satisfieri Deo, quia tunc non totum debetur Deo, nec tollitur quod de suo id, quod reddit.

XLIX. Quare sententia Anselmi verissima est, nam etiam stante præcepto Dei, sive naturali, quantum ad opera legis naturalis; sive positivo, et peculiari ipsi Christo imposito, non tollit illud præceptum, quod exhibeat aliquid de suo, et aliquid de valore superans omne, quod Deus non est; ergo exhibet aliquid sufficiens ad tollendum debitum iustitiæ, licet habeat alias debitum legis, seu præcepti. Sicut modo habet quis præceptum restituendi ablatum, verbi gratia, per excommunicationem, et hoc non tollit quod vere restituat, quia de suo restituit, et restituendo satisfacit præcepto positivo.